

# FABULAE WOLFGANGI BORCHERT



**WOLFGANG BORCHERT**  
(1921-1947)

<b>TRES REGES OBSCURI</b> ( <i>Borchert, LL</i> ) .....	
<b>PANIS</b> ( <i>Borchert, LL</i> ) .....	
<b>HOROLOGIUM CULINARE</b> ( <i>Borchert, LL</i> ) .....	
<b>IN NIVE IN NIVE PURA: VIA CONORUM</b> ( <i>Borchert, LL</i> )	
<b>AT NOCTE RATTI DORMIUNT!</b> ( <i>Borchert, LL</i> ) .....	



„Duo anni ei relictis sunt ad scribendum, et his duobus annis scripsit sic ut aliquis scribit cursu certans cum morte. Borchert non vacavit quiescendo, et hoc scivit“.

**HENRICUS BÖLL DE WOLFGANGO BORCHERT**

# TRES REGES OBSCURI

*Scriptis Wolfgang Borchert, in Latinum convertit Leo Latinus.*



Vir caligabat per suburbium obscurum. Domûs caelo obstabant abruptae. Luna deerat et via strata videbatur terreri gradu pedum serotino. Deinde vir invênit plancam veterem. Quam pede impellebat, usque dum asser marcidus ingemiscens abrumperetur. Lignum odore erat molli et dulci. Vir per suburbium obscurum domum caligavit. Stellae non adfuerunt.

Cum vir ianuam aperiret (quo eadem sonum edidit flebilem), aspectus est ab oculis uxoris subcaeruleis. Qui prospexerunt ex facie fatigatâ. Tantum erat frigus, ut spiritus hominum in aère conclavis albescens suspensus esse videretur. Vir osseo genu suo flexo lignum diffregit. Lignum gemuit. Deinde circumcirca odor diffundebatur mollis et dulcis. Vir fragmentum ligni naribus supposuit et submissê ridens dixit: „*Hoc fragrat paene tam bene quam placenta.*“ Uxor autem oculis suis indicavit, ne vir rideret. Infantulum dormire.

Vir lignum dulce et molle imposuit parvae fornaci laminatae. Quod ibi ignescens per conclave coniecit volam luminis calidi. Quae lucida cecidit in pusillam faciem rotundam ibidemque paulisper remansit. Quae facies unam tantum horam nata erat, sed iam omnes habuit partes necessarias: aures, nasum, ôs, oculos. Oculos esse magnos apparuit, quamquam erant clausi. Sed ôs erat apertum et inde eius anima submissê ducebatur. Nasus et aures erant colore rubro. Mater cogitavit infantulum vivere. Et facies parva dormiebat.

Tum vir: „*Adsunt adhuc flocci avenacei*“. Mulier: „*Qui adsunt et hoc bonum est. Frigeo*“. Vir iterum sumpsit aliquid de ligno dulci et molli. Et cogitavit: „*Nunc peperit infantulum, et friget.*“ Sed nullum habuit hominem, cuius in faciem pugnos

impelleret hac de causâ. Portulâ fornacis apertâ iterum vola lucis cecidit in faciem dormientem. Mulier dixit submissê: „*En aspice lucem – nonne similis est nimbo, viden‘?*“ - Vir cogitavit „*nimbus!*“ nec habuit, cuius in faciem impelleret pugnus suos.

Deinde nonnulli homines venerunt ad ianuam. Qui dixerunt: „*Vidimus lucem ex fenestrâ splendentem. Velimus considerare et per decem minutas manere*“.

Vir iis dixit: „*At nos habemus infantulum*“. Tum illi nihil iam dixerunt, sed tamen venerunt in conclave, nebulam ex naribus efflaverunt et pedes sustulerunt. Et susurraverunt: „*Nos sumus perquam quieti*“ et pedes sustulerunt. Deinde lux in eos cecidit.

Qui fuerunt tres viri tribus vetulis vestibus uniformibus induti. Unus habuit scatulam chartonaceam, alter saccum, tertius expers fuit manuum. Qui truncos brachiorum tollens: „*Vi frigoris*“ inquit „*manûs ambustae sunt*“. Deinde viro saccum amiculi admovit. Cui infuit tabacum et chartula tenuis. Tabaco involvendo efformaverunt sigarella. At mulier dixit: „*Nolite fumare, quia adest infantulus.*“

Tum quattuor viri ierunt ante ianuam eorumque sigarella fuerunt quattuor puncta in nocte lucentia. Unius pedes fuerunt pannis crassis circumvoluti. Qui e sacco sumpsit lignum et „*En asinum*“ inquit, „*quem exsculpsi per septem menses. Dono eum infantulo*“. His dictis figuram dedit viro. Idem rogavit: „*Quid de pedibus tuis?*“ - „*Qui sunt aquosi*“ respondit sculptor asini, „*quod fame factumst.*“ - „*Et quid de alio, de tertio?*“ vir rogavit in tenebris asinum attingens. Tertius veste uniformi indutus tremens susurravit: „*Oh, nil insoliti, ex nervis laboro. Nimis saepe timore vexatus sum.*“ Deinde sigarellorum ciccis candentibus calcando extinctis iterum domum intraverunt.

Pedibus sublatis viri aspexerunt faciem parvam dormientem. Vir tremulus duo dulciola ex scatulâ chartonacê sumpsit et dixit: „*Haec dones uxori*“.

Mulier oculos subcaeruleos latê aperuit, cum conspiceret tres viros obscuros capitibus declinatis ad infantulum conversos. Nam timuit. At tum infantulus pedibus matris pectori appressis tam fortiter clamavit, ut tres viri obscuri pedibus sublatis ad ianuam reperent. Ibi hospitibus iterum annuerunt, deinde penetraverunt tenebras nocturnas.

Vir illos abeuntes oculis prosecutus est. Uxori dixit: „*En quam miros viros sanctos*“. Deinde ianuam clausit. „*Sanê belluli viri sancti sunt illi*“ fremens quaesivit floccos avenaceos. At nulla facies ei fuit, quam impelleret pugnis suis.

„*At infantulus clamavit*“ mulier susurravit, „*fortissimê clamavit. Tum illi abierunt. En vide, quam vivax sit!*“ dixit superbê. Infantulus autem ore aperto clamavit.

Vir rogavit: „*Fletne?*“

„*Non flet, puto eum ridere*“ mulier respondit.


Vir: „*Paene*“ inquit „*tam bene fragrat quam placenta*“ et nasum ligno admovens vocavit „*Quam suaviter fragrat!*“

Mulier autem: „*Hoc*“ inquit, „*optimê quadrat. Nam hodie est Natale Domini*“.  
Bene, hodie est Natale Domini, vir fremuit et ex fornace vola lucis lucida cecidit in  
parvam faciem dormientem.

„*TRES REGES OBSCURI*“

*scripsit Wolfgang Borchert, in Latinum convertit Leo Latinus.*

**Wolfgang Borchert**  
**Draußen vor der Tür**



**HOFENBERG**

# PANIS

*Scriptis Wolfgang Borchert, in Latinum convertit Leo Latinus.*

Subito mulier ex somno est excitata. Fuit hora secunda cum dimidiâ. Mulier deliberavit, quare excitata esset. *Ah, nunc scio! In culinâ aliquis impulit sellam.* Mulier aures arrexit versus culinam. Silentium erat. Nimum erat silentium, et manu læctum iuxta se positum perstringens invênit eundem vacuum esse. Haec erat causa, quâ tantum factum esset silentium; deerat spiritus viri. Mulier surrexit et per habitaculum obscurum calîgavit ad culinam. In culinâ inter se convenerunt.



Horologium indicavit horam secundam cum dimidiâ. Mulier conspexit aliquid album, quod stabat ad armarium culinare. Mulier lumen accendit. Nunc inter se obstiterunt camisiis induti. Nocte. Horâ secundâ cum dimidiâ. In culinâ. In mensâ culinari stabat catinus panarius. Mulier vidit virum sibi quadram panis desecuisse. Culter adhuc iacebat iuxta catinum et in manteli iacebant micae panis. Cum vespere cubitum ibant, mulier semper purgabat mantele. Omni vespere. At nunc in manteli iacebant micae panis. Necnon culter ibi iacebat. Mulier sensit frigus lamnarum fictilium lentê animae suae arreperere. Et oculos a catino avertit. Vir: „*Cogitaram*“ inquit „*hîc aliquid accidisse*“ et per culinam circumspexit. - Mulier respondit: „*Ego quoque aliquid audivi*“ animadvertens virum nocte camisiâ indutum aspectu esse admodum senili. Quâ aetate nunc esset. Sexaginta tres annos natus. Lumine diurno virum interdum videri esse aetate minore. Vir autem cogitavit: „*Illa si camisiâ induta est, iam est aspectu anili. Sed hoc fortasse efficitur capillis. In mulieribus nocte hoc semper efficitur capillis. Quibus mulieres habent subito aspectum tam anilem*“. Mulier dixit: „*Quidni induisti calceos? Nocet transire frigidas lamnas pedibus nudis. Cave ne contrahas perfrictionem.*“ Mulier virum non aspexit, quia non passa est eum mentiri. Virum mentiri, cum connubio coniuncti essent ex undequadragesima annis. -



„*Cogitaram hîc aliquid accidisse*“ vir iterum dixit iterumque tam inaniter oculos ab uno angulo convertit in alterum, „*audiveram hîc aliquid. Itaque cogitaram hîc aliquid accidisse.*“ - „*Ego quoque aliquid audivi. At videtur nihil accidisse.*“ Mulier catino a mensâ remoto micâs de manteli averrit. Vir aliquatenus incertus verba repetens: „*Profecto*“ inquit „*videtur nihil accidisse*“. Mulier virum adiuvens: „*Redi. Certê illud foris factum est. Redi in lectum. Cave ne contrahas perfrictionem. Cum stes in lamnis frigidis.*“ Vir oculos coniecit versus fenestram. „*Apparet illud foris factum esse. Cogitaram factum esse hîc.*“ - Mulier manum allevavit ad mutamen luminis. Quae cogitavit: „*Lumen nunc mihi extinguendum est, alioquin non potero, quin aspiciam catinum. Non licet mihi catinum aspicere*‘. -



Lumen exstinguens „*Redi ad lectum*“ inquit, „*illud certê foris factum est. Si ventus flat, stillicidium semper parieti appulsatur. Certê stillicidio strepitus factus est. Quod vento flante semper crepitat.*“ Tum ambo per andronem obscurum calîgaverunt ad cubiculum. Pavimentum strepuit nudis pedibus calcatum. Tum vir: „*Ventus flat profecto. Qui flat per totam noctem.*“ In lecto cum cubarent, mulier dixit: „*Ita est, ventus flat per totam noctem. Apparet strepitum effectum esse stillicidio.*“ - Deinde vir: „*Ita fuit. Cogitaram hoc factum esse in culinâ. Puto effectum esse stillicidio.*“ Vir hoc dixit sic pronuntians, quasi iam esset semisomnus. At mulier animadvertit, quam falso sonaret vox viri, cum mentiebatur. Itaque dixit: „*Frigeo*“ submissê oscitans, „*sub lodicem repam. Bonam noctem.*“ - „*Noctem*“ vir respondit, „*Verum est: bellulê*

*frigeo.*“ Deinde fuit silentium. Post multas minutas mulier audivit virum cautê atque submissê mandere. Mulier consulto respiravit continuo et profundê, ne vir animadverteret se adhuc vigilare. Sed vir tam continuo mandebat, ut ipsa lentê obdormisceret.



Vir cum postridie vespere domum venisset, mulier ei apposuit quattuor quadras panis. Antea vir comedere potuerat tantummodo tres. Tum mulier a lampade secedens: "*Licet comedas*" inquit „*quattuor quadras. Nam ego stomacho meo hunc panem non ita bene digero. Velim comedas cum unâ additâ. Equidem non ita bene digero.*“ Mulier vidit virum caput catino admotum tenêre valdê demissum. Virum non suspicere ad se. Hôc momento temporis mulierem viri miseruit. Qui catino suo adversus: "*Non poteris*" inquit, „*comedere duas tantum quadras.*“ - "*Certê mihi sufficient, nam vespere panem non ita bene digero. Comedas. Comedas.*“ Aliquamdiu demum post mulier sub lampade consedit ad mensam.




### „PANEM“

*scripsit Wolfgang Borchert, in Latinum convertit Leo Latinus.*

# HOROLOGIUM CULINARE

*Scriptis Wolfgang Borchert, in Latinum convertit Leo Latinus.*



Homines hunc iuvenem iam ex longinquo viderunt appropinquantem, nam aspectu fuit insolito. Eius facies erat persenilis, sed ex modo eundi apparuit eum esse vicenarium demum iuvenem. Qui facie senili praeditus consedit ad illos in subsellio iam sedentes. Deinde autem illis monstravit id quod secum manu tenebat.

„Hoc“ inquit „fuit horologium nostrum culinare“ et illos omnes aspexit unum post alterum, qui sedebant in subsellio apricantes. „Fuit illud, quod adhuc invêni. Quod est relictum“. Iuvenis rotundum horologium, quod erat candore catini, ante se manibus tenebat et summis digitis purgavit numeros colore caeruleo impictos.

More se excusantis addidit: „Scilicet me novisse idem nihil valere. Neque hoc horologium est eximiae pulchritudinis. Quod nihil est nisi catinus laccâ albâ oblitus. Tamen numeri caerulei nonne quadamtenus sunt belluli? Scilicet indices esse confectos ex vili laminâ metallicâ. Neque iam promoventur nunc. Non iam. Constat defecta esse horologii penetralia. Tamen aspectu adhuc est solito. Etiamsi non iam operatur.“

Nunc iuvenis summo digito cautê marginem horologii catinati circulatim perstrinxit. Et dixit submissê: „Et hoc relictum est.“

Homines in subsellio qui sedebant apricantes, eum non aspexerunt. Unus eorum aspexit eius calceos et mulier inspexit suum chiramaxium. Deinde aliquis dixit:

„Tune omnia perdidisti?“

Tum iuvenis laetê: „*Ita, perdididi, fac me reverâ omnia perdidisse! Praeter hoc horologium, hoc est relictum*“. Sic dixit horologium manu tollens, quasi ceteri idem nondum novissent.

Mulier autem: „*At horologium*“ inquit „*non iam operatur.*“

„*Certê, haud ignoro hoc esse defectum, hoc bene nôvi. At ceteroquin hoc remansit tale quale semper fuerat: candidum et caeruleum*“. Et denuo iuvenis illis monstravit suum horologium. Et perrexit loqui animo excitato: „*Pulcherrimum autem quod est, vobis omnino nondum narravi. Pulcherrimum enim omnium adhuc restat narrandum: Fingatis indices horologii constitisse horâ secundâ cum dimidiâ. Fingatis eos constitisse horâ secundâ cum dimidiâ ipsissimâ*“.

Tum vir quadam cum gravitate labium inferius protendens: „*Ergo bomba incidit in domum tuam horâ secundâ cum dimidiâ. Quod iam saepe audivi. Si bomba decedit, desinunt promoveri indices horologiorum. Quod fit pressione*“.

Iuvenis autem horologium suum aspiciens quâdam superbiâ sumptâ<sup>1</sup> caput concussit: „*Nequaquam, care Domine, nequaquam, in hac re erras. Hoc nullo modo spectat ad bombas. Non debes semper loqui de bombis. Non. Horâ secundâ cum dimidiâ factum est aliquid omnino aliud, sed hoc tu ignoras. In eo enim est mucro rei enarrandae, quod indices horologii promoveri desierunt ipsâ hac horâ secundâ cum dimidiâ. Neque horâ quartâ cum quadrante aut horâ septimâ. Nam horâ secundâ cum dimidiâ ego solebam domum venire. Nocte. Ferê semper horâ secundâ cum dimidiâ. In eo enim est mucro huius rei narrandae*“.

Nunc iuvenis aspexit ceteros, sed iidem oculos a iuvene averterant. Quos non invênit. Tum idem horologio suo annuens: „*Deinde scilicet me esurivisse, nonne? Et semper statim ibam in culinam. Tum ferê semper hora erat secunda cum dimidiâ. Et deinde enim veniebat mater mea. Quamquam ianuam studebam aperire quam lenissimê, illa me audivit semper. Cum in culinâ tenebrosâ quaerebam aliquid quod comederem, subito lux est accensa. Tum mater ibi constitit iaccâ laneâ et amictorio rubro induta. Necnon nudis pedibus. Semper nudis pedibus. Quamquam pavementum culinae nostrae obtectum erat lamnis fictilibus. Mater autem valdê connivebat propter lucem praelucidam. Nam iam dormiverat. Multa iam nox cum esset. Tum dicebat: „*Etiam tam sêro*“. Plura dicebat numquam. Nihil nisi: „*Etiam tam sêro*“. Deinde autem cenam mihi recalefaciebat meque aspectabat comedentem.*

---

1 cfr Forcellini s.v. superbia: „**SÛPERBĪA**, ae, f. 1. (superbus) magnitudo, excellentia: occurrit autem A) Saepius in malam partem; et B) **Aliquando in bonam partem.** ... B) *Superbia, in bonam partem, est honor, decus, magnitudo animi.* I.) Proprie. *Horat. 3. Od. 30. 14. sume superbiam Quaesitam meritis.* Sic *Vulgat. interpr. Is. 60. 15. Ponam te in superbiam saeculorum. h. e. magnitudinem et gloriam tuam omnia saecula admirabuntur.* II.) Translate. *Plin. 15. Hist. nat. 15. 16. (53). Eadem causa in piris taxatur superbiae cognomine: parva haec sed ocissima. Vulgat. interpr. Jer. 49. 19. Quasi leo ascendet de superbia Jordanis ad pulcritudinem robustam. h. e. sicut leo, quem intumescens Jordanis caverna sua expulit, in fertilem et abundantem agrum irrumpit. Ita Weitenauer ad h. v. Homonym. Qui differat superbia ab arrogancia et insolentia, V. sub v. **ARROGANTIA.**“*

*Simul pedes suos unum alteri affricabat, quia lamnae figlinae erant praegelidae. Calceos mater nocte numquam induebat. Et tam diu apud me sedebat, usque dum satur essem. Et deinde eam audiebam catinos armario imponere, cum ego in conclavi meo lumen iam exstinxissem. Omni nocte haec fiebant. Et plerumque horâ secundâ cum dimidiâ. Hoc mihi videbatur esse prorsus cottidianum, matrem mihi nocturnâ horâ secundâ cum dimidiâ in culinâ cenam parare. Nam hoc semper faciebat. Nec umquam plura dixit nisi: ‚Etiam tam sero‘. Sed hoc dixit semper. Ego autem cogitabam hoc numquam posse finiri. Quia erat tam cottidianum. Haec omnia semper sic facta erant.“*

Per spatium unius spiritûs in subsellio fuit silentium. Deinde iuvenis dixit: „*Et nunc?*“ et ceteros aspexit. Sed eos non invênit. Tum mediam in horologii faciem albi-caeruleam dixit: „*Nunc, nunc scio illud fuisse paradisum. Verum paradisum*“.

In subsellio vastum fuit silentium. Tum mulier rogavit: „*Et quid de familiâ tuâ?*“

Iuvenis mulieri leniter arrisit in quandam difficultatem adductus: „*Ah, rogas, quid factum sit de parentibus meis? Idem quoque absunt. Omnia absunt. Omnia, finge animo omnia abesse. Omnia absunt.*“

Iuvenis difficile subrisit unum post alium aspiciens. Sed illi iuvenem non aspexerunt.

Tum is horologio etiam sublato risit. Et ridens: „*Nil*“ inquit „*nisi hoc adest. Hoc est relictum. Necnon id est pulcherrimum, quod indices horologii promoveri desierunt ipsâ horâ secundâ cum dimidiâ. Ipsâ horâ secundâ cum dimidiâ*“.

Deinde iuvenis nihil iam dixit. At facie erat persenili. Et vir iuxta eum sedens aspexit calceos eius. Sed iuvenis ipse calceos suos non vidit. Qui nihil iam cogitabat nisi verbum **paradisi**.



## „HOROLOGIUM CULINARE“

*scripsit Wolfgang Borchert, in Latinum convertit Leo Latinus.*

# VIA CONORUM

*Scriptis Wolfgang Borchert, in Latinum convertit Leo Latinus.*



**Nos sumus lusores conorum.  
Nos ipsi sumus globus depulsans,  
sed sumus etiam coni decisuri.  
Via conorum, in quâ fiunt tonitrua,  
est cor nostrum.**

Duo viri scrobem sibi foderant subterraneam. Quae erat satis spatiosa et paene commoda. Similis sepulchro. Satis tolerabilis.

Ante se positum tenebant sclopetum. Cuius rationem aliquis talem excogitaverat, ut eodem sclopetari posset in homines. Plerumque sclopetatores prorsus ignorabant homines, in quos sclopetabant. Ne linguam illorum intelligebant. Neque ab illis aliquid mali acceperant. At debebant sclopeto in illos sclopetare. Hoc aliquis imperaverat. Et ut satis multos illorum sclopetando interficerent, aliquis invenerat rationem, quâ sclopetari posset plus sexagies in unâ tantum minutâ. Îdem inventor acceperat mercedem.

Altera scrobis fuit aliquanto a duobus viris remota. Ex eâdem prospexit caput, quod fuit particeps hominis. Quod caput instructum erat naso, qui poterat olfacere myri fragrantiam. Et oculis, qui videre poterant urbem aut florem. Et ore, quo poterat panem comedere et eloqui nomen *Ingae* aut matris. Quod caput duo viri viderunt, quibus datum erat sclopetum.

„*Sclópet!*“, unus dixit.

Alter sclopetavit.

Tum caput erat destructum. Neque iam potuit olfacere myri fragrantiam neque videre urbem neque eloqui nomen. Neque umquam alias post.

Hi duo viri in scrobe fuerunt per multos menses. Et destruxerunt multa capita. Quae semper erant participia hominum, quos prorsus ignorabant. A quibus hi viri nihil

umquam mali acceperant et quos ne intelligebant quidem. Sed aliquis excogitaverat sclopetum, quo sclopetari poterat plus sexagies in unâ tantum minutâ. Et alius hoc imperaverat.

Paulatim hi duo viri tot capita destruxerant, ut ex iisdem fieret magnus mons. Et cum hi duo viri dormiebant, capita devolvebantur. Ut fit in viâ conorum. Cum tonitru submisso. Quo duo viri e somno excitati sunt.

„*Sed imperatum est!*“ unus susurravit.

„*Sed nos fecimus!*“, alter clamavit.

„*Sed fuit horribile*“, unus gemuit.

„*Sed interdum hac re delectati sumus*“, ridens dixit alter.

„*Non!*“, clamavit is qui susurraverat.

„*Certê!*“, susurravit alter, „*Interdum eâdem delectati sumus. Talis est. Verê delectati sumus*“.

Per horas in nocte consederunt. Non dormiverunt. Deinde unus:

„*Sed Deus nos fecit tales*“.

Tum alter: „*Sed Deus*“ inquit „*potest excusari: Qui non exstat.*“

„*Deus non exstat?*“ primus interrogavit.

„*Haec est unica causa, quâ îdem excusatur*“, alter respondit.

„*Sed nos – nos exstamus*“, primus susurravit.

„*Ita est: nos exstamus*“, alter susurravit.

Duo viri, quibus imperatum erat, ut destruerent quam plurima capita, hac nocte non dormiverunt. Nam capitibus effectus est tonitrus submissus.

Deinde unus dixit: „*Et nos nunc hîc sedemus sclopetaturi*“.

Alter: „*Ita est*“ inquit „*nos nunc hîc sedemus sclopetaturi*“.

Tum unus vocavit: „*Praeparemus. Res denuo incipit*“.

Duo viri surrexerunt et sclopetum sumpserunt.

Et quandocumque hominem conspexerant, in eundem sclopetabant.

Et semper îdem erat homo, quem prorsus ignorabant. Et qui duobus viris nihil umquam mali fecerat. Tamen in eum sclopetabant. Ut hoc facerent, aliquis excogitaverat rationem sclopeti. Quâ inventâ acceperat mercedem.

**Et aliquis – aliquis hoc imperaverat.**

„*VIAM CONORUM*“

*scripsit Wolfgang Borchert, in Latinum convertit Leo Latinus.*

# AT NOCTE RATTI DORMIUNT!

*Scriptis Wolfgang Borchert, in Latinum convertit Leo Latinus.*



Fenestra cava muro desolato imposita maturo sole vespertino completa oscitabat caeruleo-rubra.

Nubeculae pulverulentae coruscabant inter truncos caminorum arrectos. Deserta rudera iacebant somniculosa. Puer oculos clauserat. Subito tenebrae ei visae sunt etiam obscuriores. Qui animadvertit aliquem advenisse et nunc ante se stare, obscurê, submissê. Puer cogitavit: *„Nunc me deprehenderunt!“* Sed cum paululum nictaret, nihil vidit nisi duo crura miserê bradata. Quae ante puerum stabant tam incurva, ut posset perspicere. Cum ausus esset paululum nictando praeter bracas suspicere, cognovit virum aetate provectionem. Qui manu tenebat cultrum et corbem. Eiusque digitis summis adhaerebat aliquantulum humi.

Tum vir: *„Tunc hîc dormis, nonne?“* rogavit despiciens in capillos pueri hirsutos. Georgius nictans trans crura viri in solem prospiciens: *„Non dormio“* inquit *„Debeo custodire“*.

Vir annuens: *„Ah video. Certê ut hoc facias, manu tenes istud baculum magnum, nonne?“*

*„Hîc fine“* Georgius respondit animo capto baculum firmê tenens.

*„Quamnam rem custodis?“*

*„Hoc mihi non licet dicere.“* Puer tenebat baculum firmê comprehensum. *„Certê pecuniam, nonne?“* Vir corbe deposito cultrum fundo bracarum huc illuc affricuit. Tum Georgius contemptim *„Nequaquam!“* inquit *„Non custodio pecuniam. Aliquid omnino aliud.“*

„Quidnam custodis?“

„Non licet mihi hoc dicere. Aliquid aliud“.

„Ergo habeas tibi. Scilicet me tibi non dicere, quid teneam hîc corbe inclusum“.

Tum vir corbem pede appulit et cultrem complicuit.

Nunc Georgius dixit contemptim: „Vah, facile divino, quid insit corbi tuo: pabulum cuniculorum.“

„Babae – ita est, rectê dicis!“ vir dixit obstupefactus. „Apparet te esse catulastrum callidum. Quotnam annos habes?“

„Novem“.

„Oha, babae, novem habes. Ergo certo scis ter novena quot sint, scin‘?“

Georgius dixit: „Scilicet“, et ut moram temporis sibi faceret, etiam dixit: „Hoc quidem est perfacile“. Et per crura viri transpexit. Et iterum rogavit: „Ter novena, nonne? Sunt viginti septem. Hoc statim sciveram“.

Deinde vir: „Hoc quadrat“ inquit, „et totidem cuniculi mihi sunt.“

Tum Georgius ore rotundato: „Verumne habes viginti septem?“

„Poteris eos videre. Multi eorum adhuc sunt perquam iuveniles. Vin‘ videre?“

Tum Georgius animo incerto: „Non licet mihi. Debeo custodire.“

Vir autem: „Semperne? Etiam nocte?“

„Etiam nocte. In sempiternum. Semper“. Georgius praeter crura incurva suspexit. Deinde susurravit: „Iam ex die Saturni“.

„Numquamne abis domum? Necesse est aliquid comedere“.

Georgius quendam lapidem sustulit. Apparuit panis dimidius. Et capsula metallica.

Vir rogavit: „Fumasne? Habesne fumisugium?“

Georgius autem baculo firmê comprehenso timidê dixit: „Fumo sigarella a me tabaco convoluto fabricata. Fumisugium non amo“.

Tum vir dorso versus corbem deflexo: „Hoc dolendumst. Cuniculi tibi certê placuissent. Imprimis parvuli. Fortasse tibi aliquem elegisses. At tibi non licet huc abire.“

Georgius tristis: „Non“, inquit, „non, non.“

Vir corbe sublato surrexit. „Doleo quod debes hîc manere“. Et se convertit. Tum Georgius celeriter dixit: „Noli hoc aliis prodere: Maneo propter rattos.“

Vir cruribus suis incurvis per unum gradum revertit: „Propter rattos?“

„Ita est. Isti enim arrodunt mortuos. Homines mortuos. Iisdem enim se nutriunt.“

„Quis hoc dicit?“

„Magister noster“.

Vir autem interrogavit: „Ideone tu nunc custodis rattos?“

„Istos nequaquam!“ Deinde autem puer dixit perquam submissê: „Custodio **fratrem** meum, qui cubet infra. Ibi“. Georgius baculo indicavit muros collapsos. „Bomba incidit in domum nostram. Subito in hypogeo lumen defuit. Et defuit frater meus. Quem vocabamus. FRATER multo minor fuit quam ego. Habuit quattuor demum annos. Necesse est eum adhuc hîc esse. Qui multo minor est quam ego.“

Vir autem despexit ad capillos pueri hirsutos. Sed deinde subito dixit: „Magister vester verumne vobis non dixit rattos nocte dormire?“

„Non“, Georgius susurravit, qui subito visus est perquam fatigatus, „Hoc nobis non dixit“. Tum vir: „En doctum sanê magistrum, qui ne hoc quidem sciat! Scilicet rattos nocte dormire. Itaque nocte nil te impedit, quin abeas domum. Nocte isti semper dormiunt. Iam tenebris se obducentibus ratti obdormiscunt.“

Georgius baculo in rudibus delineavit alveolos. Qui cogitavit: „Hi sunt omnes lectuli, omnes sunt lectuli“. Tum vir (cruribus incurvis prorsus inquietis): „Scin quid facturi simus? Nunc celeriter pabulum dabo cuniculis meis, et tenebris ingruentibus veniam, ut te abducam. Fortasse aliquem ex cuniculis meis mecum apportabo. Fortasse catulum, an adultum – quid sentis?“

Georgius in rudibus delineavit alveolos. „Hi sunt omnes cuniculi parvi. Albi, cineracei, albi-cineracei.“

Puer submissê dixit crura incurva aspiciens: „Nescio. Num isti reverâ nocte dormiunt?“

Vir per parietînas transgressus descendit in viam stratam. Illinc: „Scilicet“ inquit „rem ita se habere. Oportet magistrum vestrum vasa colligere, si ne hoc quidem scit.“

Tum Georgius surrexit et quaesivit: „Nonne mihi licet accipere aliquem cuniculum? Fortasse album?“

Vir autem iam profectus: „Conabor aliquem aptum invenire, sed oportet hîc me exspectes. Deinde tecum domum ibo, intellegisne? Debeo enim patri tuo dicere, quomodo construatur stabulum cuniculorum. Nam oportet hoc sciatis“.

Georgius vocavit: „Bene, exspectabo. Adhuc debeo custodire, usque dum obtenebrescat. Certê exspectabo.“ Et addidit haec verba: „Domi habemus etiam tabulas ligneas, tabulas cistarum.“

Sed vir haec non iam audivit. Is cruribus suis incurvis properabat versus solem iam rubore vespertino insignem. Crura autem tam incurva erant, ut Georgius videret eadem transiri a radiis solaribus. Et corbis excitatus huc illuc vacillabat. Cui inerat pabulum cuniculorum. Viride pabulum cuniculorum, quod pulvere rudum obtectum paululum duxerat coloris cineracei.



**„AT NOCTE RATTI DORMIUNT!“**

*scripsit Wolfgang Borchert, in Latinum convertit Leo Latinus.*



ECCE URBIS HAMMABURGI PARIETINAE A.1943  
POST IMPETÛS BOMBARIOS OPERATIONIS »GOMORRHAE«  
RELICTAE

